



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXIII. Dominus regit me: nihil mihi deerit, &c. Carm. gen. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. XXIII. Dominus regit me: nihil
 mihi deerit, &c. Carm. gen. 13.

Quid frustra rabidi me petitis canes?
 Quod propositum cur premis improbum?

Sicut pastor ouem, me Dominus regit:

Nil deerit penitus mihi.

Per campi uiridis mitia pabula,

Quæ ueris teneri pingit amœnitas,

Nunc pascor placidè, nunc saturum latus

Fessus molliter explico.

Puræ riuus aquæ leniter astrepens

Membris restituit robora languidis,

Et blando recreat fomite spiritus

Solis sub face torrida.

Saltus quum peteret mens uaga deuios,

Errorum teneras illecebras sequens,

Retraxit miserans denuo me bonus

Pastor iustitiæ in uiam.

Nec si per trepidas luctifica manu

Intentet tenebras mors mihi uulnera,

Formidem duce te pergere: me pedo

Securum facies tuo.

Tu mensas epulis accumulâs, merum

Tu plenis pateris sufficis: & caput

Vnguento exhilaras. Conficit æmulos,

Dum spectant, dolor anxius.

Me nunquam bonitas destituet tua,

Profususq; bonis perpetuò fauor:

Et non sollicitæ longa domi tuæ

Vitæ tempora transigam.

C iij